

bene x milia ignium facit. Reliquorum vero alii sunt Christiani, alii mercatores, aliquique transeuntes per contratam, unde multum fui miratus quod tot corpora humana poterant habitare simul. In ea est copia magna panis, carnium de porco,<sup>1</sup> et vini, ac risi; quod vinum vigim<sup>2</sup> aliter nominatur, quod etiam potacio nobilis reputatur: omnium etiam aliorum victualium illic copia maxima reperitur.

33. *De quodam mirabili quod vidit Fr. Odoricus in quodam monasterio ydololatrarum.*

Hæc est civitas regalis in quâ rex Manzi olim morabatur. Et in ea quatuor nostri fratres minores<sup>3</sup> unum potentem hominem converterunt, in domo cuius<sup>4</sup> hospitabar, unde mihi aliquando dicebat Atha,<sup>5</sup> id est, Pater, vis venire videre terram? Et sibi semel dixi me velle ire, unde ascendimus unam barcham et sic ivimus ad unum magnum illorum monasteriorum quæ ibi erant, ad quod cum ivissemus unum illorum religiosorum vocavit dicens: Vides hunc Raban<sup>6</sup> Franchi (scilicet istum virum religiosum Franch), iste venit inde ubi occidit sol, et nunc vadit Cambaleth,<sup>7</sup> ut roget<sup>8</sup> vitam pro magno Cane. Ideo sibi ostendas aliquid quod ipse videre possit, si hic est mirabile,<sup>9</sup> ut si reverteretur ad suas contratas, dicere possit tale quod novum vidi in Cansai. Tunc iste dixit se libenter velle ostendere sibi aliquid novum. Et tunc iste duos magnos mastellos<sup>10</sup> accepit plenos hiis quæ superfuerunt a mensâ.<sup>11</sup> Et ipse tunc statim<sup>12</sup> apperuit cujusdam viridarii portam per quam intravimus in viridarium illud, nunc autem in eo est quidam monticulus<sup>13</sup> plenus arboribus amoënis; et dum in eo sic essemus, ipse Cimbalum<sup>14</sup> unum accepit, et illud incepit pulsare,<sup>15</sup> ad cujus sonitum multa animalia varia et diversa de illo monticulo descenderunt, sicut nunc essent symiæ, catti, maymones, similiter et multa alia animalia<sup>16</sup> circa ipsum posita et ordinata. Et cum circa ipsum sic essent se aptaverunt ad se invicem ordinata. Et cum circa ipsum sic essent posita et ordinata, ipse paropsides<sup>17</sup> posuit ante illa et sicut competit comedere sibi dabat:<sup>18</sup> hæc autem cum sic comedissent cymbalum pulsare cœpit, et ad sua loca revertabantur cuncta. Dum autem sic viderem

<sup>1</sup> Hak. et carnium de porco præcipue. *He omits the bigini.*

<sup>2</sup> This should run as in Ven. risi et vini, quod vinum bigini aliter nominatur; Far. also has it in an unintelligible shape; Mus. has carnium porcinorum vini et risi quod bignii aliter nominatur, de quo nobilis fit potatio inter eos.

<sup>3</sup> Boll. has erroneously prædicti.

<sup>4</sup> Far. Continue; also Mus.; Hak. in cuius hospitio continue habitabam dum fui ibi.

<sup>5</sup> Ven. Archa; Far. Arra; Hak. Ara; Boll. Ara.

<sup>6</sup> Ven. Franchum; Boll. has Rabi.

<sup>8</sup> Hak. deprecetur.

<sup>7</sup> Ven. Cambalech.

<sup>9</sup> Ven. omits these four words, as do Ut. and the others.

<sup>11</sup> Boll. sportas.

<sup>10</sup> Mus. Kanasiâ; Hak. Canasiâ.

<sup>12</sup> Hak. et duxit me ad unam perclusam parvam quam aperuit cum clave, et apparuit viridarium gratiosum, etc.

<sup>13</sup> Mus. cum clave.

<sup>14</sup> Hak. sicut unum campanile.

<sup>15</sup> Ven. Timpanum; Far. timbalum; Boll. Tintinnabulo.

<sup>16</sup> Hak. sicut percutitur quando monachi intrant refectorium.

<sup>17</sup> Ven. has here quæ faciem habebant humanam quæ erant circa tria millia quæ circa, etc.; Far. animalia habentia faciem hominis; Mus. absurdly has cciii millia, probably miscopied for circa iii millia; Hak. 4000.

<sup>18</sup> Ven. parassides.

<sup>19</sup> Boll. Secundum naturæ suæ.....distribuit illis cibum.